

www.e-rara.ch

**Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae
principales**

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio XV. An actus scinetiae, & opinionis de eodem obiecto simul stare possint in eodem intellectu?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20^e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

probabilitate saltem conclusionis ,
hoc ipso , quòd videat conclusionem
contineri , & bonam esse consequen-
tiam ; potentia enim necessaria , qua-
lis est intellectus , & applicata non
potest non operari.

Fundam. Sent. 2. Intellectus potest
suspendere assensum , quia sola cog-
nitio bonitatis *consequentia* non suffi-
cit ad necessitandum intellectum ,
sed requiritur etiam *evidentia conse-*
quentis ; quamdiu enim consequens
manet probabile , tamdiu de illo for-
midare potest , sicut de ipsis præmis-
sis probabilibus formidare potest eti-
am stante earum assensu.

QUÆSTIO XV.

*An actus scientia , & opinionis de eodem
objecto simul stare possint in eodem
intellectu ?*

SENTENTIA I. Affirmans. Ita
Suarez. *de fide d. 3. s. 9.* Arriaga *d.*
6. de anima s. 6. n. 109. Hurtado *d.*
10. de anima s. 5. Comptonius *d. 50.*
s. 2. & 3. Amort. *p. 4. q. 4. n. 4.*
Du Hamel *p. 3. log. q. 3.* Hofer *prompt.*

p. 1.

p. 1. *contr.* 19. Mayr p. 1. n. 975.
Semery *hic d.* 7. q. 5. a. 2. Cornæ-
us *tr.* 7. d. 1. q. 2. Gervasius p. 3.
log. q. 2. a. 8. & alij plures, præ-
fertim R.R. & ex Th. Th. Wenzl.
hic contr. 2. q. 4. & apud eum Card.
de Aguirre.

FUNDAMENTA.

1. Actus opinionis non præstatin-
tellectui effectum formalem opposi-
tum effectui scientiæ; ergò possunt
simul stare. *ant prob.* effectus scientiæ
est *reddere intellectum certum*; & ef-
fectus opinionis est *non reddere intel-
lectum certum*: sed hi effectus non
sunt oppositi; sed isti: *reddere certum*,
& *reddere positivè non certum*; ergò.

Nec dicas: *reddere certum*, & *non red-
dere* sunt contradictoria; ergò oppo-
sita. nam

R. d. a. Sunt contradictoria *respectu
ejusdem actûs reddentis* &c. con. *respectu
diversorum actuum*, ut sunt scientia, &
opinio. neg. sicut enim reddere al-
bum, & non reddere album, non
sunt contradictoria *respectu diversorum
accidentium*; aliàs albedo, &
dul-

dulcedo non possent esse in eodem lacte; ita nec *reddere certum*, & *non reddere certum*, sunt contradictoria respectu diverforum actuum scientiæ, & opinionis.

Nec dicas 2. Scientia ponit in intellectu certitudinem, & evidentiam; opinio autem incertitudinem; ergò.

R. d. a. Ponit incertitudinem *positivam*, neg. *negativam*, h. e. ipsa non facit intellectum certum con. a. n. c.

Nec dicas 3. Opinio secum fert formidinem; ergò.

R. d. a. Formidinem *radicalem*, con. *formalem*, & *actualem*, subd. nisi hæc impediatur à *præsentia evidentia*, multò fortioris, quam motivum evidens communicat intellectui, tr. si impediatur &c. neg.

2. Ex nostra sententia non sequitur, intellectum de eadem re simul esse *certum*, & *non esse certum*; ergò &c. *prob. a.* 1. malè argumentatur, qui sic arguit: *mel non est sapidum per colorem, & est sapidum per saporem. ergò non est sapidum, & est sapidum*: ergò etiam malè arguitur: *intellectus non est certus per opinionem, & est certus per scientiam*;

ergò intellectus non est certus, & est certus.

2. Etiamſi admittatur, ſcientiam, & opinionem adjunctum habere hunc actum: *res certiffimè ita eſt, res fortaſſe non ita eſt*, non tamen ſequitur, intellectum actu formidare, quia ſenſus illius actûs ſolùm eſt iſte: *res vi motivi evidentis eſt certâ, licèt vi ſolius motivi probabilis non ſit certa*; ubi non includitur actualis formido. 3. Incertitudo, & formido actualis oritur *non ex motivo*, ſed *motivi defectu*, ergò, cùm in concurſu opinionis, & ſcientiæ adſit motivum evidens, ideò tunc formido, & incertitudo actualis oriri in intellectu non poteſt.

3. Motivum probabile ob concurſum motivi evidentis, cui *circa eandem veritatem subordinatur*, non amittit ſuam probabilitatem; ergò poteſt intellectus ex utroque motivo probabili, & evidente ſimul eidem veritati aſſentiri; *conf. prob.* quia intellectus eſt potentia univerſalis, potens cognoscere omne verum, etiam probabile.

Confirm. Poteſt quis duplici vinculo eidem palo alligari, ferreò, & ſericò;

cô; ergò etiam duplici motivo, probabili, & evidente eidem veritati adhærere.

RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. ant. & 2. membr. maj. prob.* scientia enim reddit intellectum positivè certum, & evidentem; ita, ut hic judicet, rem aliter se habere non posse; & actus opinionis reddit intellectum positivè incertum, & cum formidine actuali partis contrariæ; ita quidem, ut actu judicet, rem aliter se habere posse: atqui hi effectus sunt contrarij; ergò &c.

Ad R. 1. *in contr. neg. suppos.* opinionem solum inferre incertitudinem negativam; ex ratione enim intrinsecâ causat positivam incertitudinem.

Ad R. 2. *in contr.* patet ex dictis.

Ad R. 3. *In contr.* Neg. quòd opinio solum secum ferat formidinem radicalem, & non formalem. Sicut enim actus scientificus habet motivum actu evidens, & propterea in intellectu causat evidentiam, & certitudinem actualem, & formalem; ita assensus opinativus nititur motivò actu inevidente,

te, & incerto, ergò etiam caufat inevidentiam, incertitudinem, & formidinem *actualem*, ac *formalem*, & non solum *radicalem*, seu exigentiam formidinis actualis.

Ad 2. *Neg. ant. ad prob. 1. neg. suppos.* per opinionem intellectum solum non reddi certum *negative*. est ergò disparitas; quia color non reddit mel *positive* non fapidum; seu infpidum; econtrà opinio reddit intellectum *positive* incertum, & actu formidantem. *ad prob. 2. neg. ant. ad prob. d. a.* sensus illius actûs *reflexè*, & *in actu signato*; si intellectus iudicet, rem esse incertam, & posse se aliter habere vi motivi probabilis, & non posse se aliter habere vi motivi evidentis, &c. *con. ant.* sensus illius actûs *absolute*, & *in actu exercito*, sine explicita reflexione ad motivum &c. *neg. ant. & conf.* hic autem actus reflexus: *res vi motivi evidentis est certa*, licet vi solius motivi probabilis non sit certa, non est opinio; sed certitudo, & ideo potest simul stare cum scientia. *ad prob. 3. d. a.* non oritur ex motivo *evidenti*, *con. probabili*; subd. M quâ

quà habet vim aliquam movendi, *con.*
 quà habet adjunctam fallibilitatem,
 & defectuositatem, *neg. a. & conf.*
 quia quamdiu intellectus huic motivo
 probabili, & fallibili innititur, & *ut*
fallibile illud agnoscit, non potest non
 causari in ipso actualis formido.

Ad 3. *Neg. conf.* quia assensus ex
 motivo evidente, & assensus ex mo-
 tivo probabili causarent effectus for-
 males privativè oppositos, scilicet
 certitudinem, & incertitudinem &c.
ad prob. d. a. potens cognoscere ve-
 rum probabile *ex motivo solum probabi-*
li, *con. simul*, & semel etiam *ex motivo*
evidente. neg.

Ad Confirm. *Neg. parit.* quia vin-
 cula illa diversa non secum ferunt ef-
 fectus formales diversos, utrumque
 enim vinctum palo alligat: at duo
 motiva diversa causarent effectus di-
 versos, *evidentiam, & firmitatem, & in-*
evidentiam, & formidinem.

SENTENTIA II. *Negans.* Ita
 P. Renz *hic art. ult.* Babenstuber *d.*
3. a. 3. Ortiz *tr. 6. conf. 5. §. 2.*
 Complut. *d. 20. q. 4. §. 1.* Vischl
d. ult. q. 2. a. ult. Joannes à S. Tho-
 ma

ma hic q. 26. 4. 5. & Th. Th.
communiter.

FUNDAMENTA.

1. Actus scientiæ, & actus opinionis ponunt effectus formales privativè oppositos; ergò non possunt &c. *ant. prob.* effectus formalis scientiæ est firmitas, & opinionis formido, sed hæ sunt effectus oppositi; ergò.

2. Opinio essentialiter involvit formidinem actualem; ergò opinio non potest stare cum scientia. *pr. ant. 1.* De essentia opinionis est, intellectum dicere: *forte res aliter se habet*; sicut de essentia scientiæ est dicere: *res infallibiliter ita se habet*: atqui hic actus est formido actualis; ergò. 3. Certitudo actualis est de essentia scientiæ; ergò etiam formido actualis est de essentia opinionis. 4. Opinio est necessario actualiter obscura; ergò reddit intellectum actualiter formidolosum. 5. Opinio semper nititur motivo probabili cognito ut probabili, & fallibili; ergò.



gò semper involvit actualem formidinem. 6. Ad fidem actualem necessario requiritur obscuritas actualis, ergò etiam ad opinionem actualem formido actualis. 7. Sine formidine actuali opinio non distinguetur à scientia; ergò.

3. Hæresis, & fides non possunt simul stare in intellectu licet oriantur à diversis motivis, ergò nec scientia, & opinio.

4. Lux, & tenebræ in eadem parte aëris simul esse non possunt; ergò nec scientia, & opinio &c.

5. Objectum, plenè illuminatum à sole, non potest ampliùs illuminari à face exigua; ergò etiam intellectus illuminatus, & persuasus à motivo evidente, ampliùs illuminari, & moveri non potest à motivo probabili.

RESPONSA Aa.

Ad 1. 1. D. a. Ponunt in eodem subjecto mediato tantum, h. e. in intellectu, tr. in eodem subjecto immediato, h. e. in eodem actu, neg. a. & conf. probabile est, posse evidentiam, & inevidentiam mediatè, h. e. mediantibus actibus recipi in eodem intellectu. Nam motiva in-

fluunt evidentiam , & inevidentiam
immediatè in actus , & mediantibus
solùm actibus in intellectum , qui non
dicitur evidens , & inevidens *ratione*
sui , sed *ratione actuum*. 2. Et melius
neg. ant. ad prob. d. 2. membr. maj.
formido actualis, *neg. formido radica-*
lis, c. maj. d. m. n. conf.

Ad 2. *N. a. ad prob. 1. n. a.* de
essentia enim opinionis solùm est ni-
ti *motivo fallibili* , licèt *fallibilitas* moti-
vi non advertatur , ergò , si non ad-
vertat intellectus fallibilitatem moti-
vi , non judicat , *rem fortè aliter se habere.*
aut si omninò velis , fallibilitatem
motivi debere necessariò adverti , di-
co sufficere , si intellectus postea ju-
dicet , *rem quantum est ex parte motivi*
probabilis, *aliter se habere posse*, licèt *ob moti-*
vum evidens aliter esse non possit. ad prob. 2.
neg. conf. non enim sequitur : *color*
mel non facit sapidum, ergò *facit insipidum.*
ad prob. 3, *neg. conf. & parit.* dispari-
tas est , quia scientia cùm sit cog-
nitio evidens , innititur ipsi *infallibilitati*
motivi , cognitæ ut tali ; scire enim
juxta Aristotelem est , *rei causam cog-*
noscere , & *quòd illius causa sit* , & *quòd*

non possit aliter se habere : ex quo sequitur necessario actualis certitudo : econtra opinio non nititur ipsa fallibilitate motivi, sed vi suasiva, & probabilitate ejus ; non enim assentimur propositioni probabili, ut fallibili, sed ut probabili. ergo non necessario importat formidinem actualem. quia ad opinionem plus non requiritur, quam, ut sit assensus nixus motivo probabili ; actualis autem formido impediri potest per præsentiam actûs scientifici.

Ad prob. 4. D. c. Nisi actualis formido impediatur *ab alio extrinseco fortiori*, con. *si impediatur*, neg. impeditur autem à certitudine, & evidentia scientiæ concurrentis; nam actualis formido tenet se *ex parte intellectûs* ; si ergo scientia intellectui communicet evidentiam, & firmitatem, impediatur necessario actualis formido ; non tamen tollitur probabilitas, seu potius fallibilitas motivi opinionis, ideo etiam non tollitur *obscuritas negativa*, h. e. *non claritas* actûs opinionis, quia hæc oritur ex debilitate motivi opinionis.

Ad

Ad prob. 5. *Tr. a. n. c.* quia hæc formido impeditur à scientia, & ejus evidentia intellectui communicata. ex quo tamen non sequitur, quòd intellectus non possit simul eidem veritati assentiri ex motivo probabili, quia istud propter motivum evidens suam probabilitatem *non amittit*, sed potius ab eo *confirmatur*.

Ad prob. 6. *Neg. conf.* Quia obscuritas actualis, seu negatio, & *carentia claritatis* objecti revelati requiritur ad fidem ut conditio essentialis: e contra formido actualis non pertinet ad essentiam opinionis, quæ solùm in eo consistit, quòd nitatur motivo non evidenti, potente *ex se* intellectum reddere formidolosum, nisi hic effectus impediatur à præsentia scientiæ.

Ad prob. 7. *Neg. a.* Per hoc enim distinguitur à scientia, quòd opinio nitatur motivis fallibilibus, & intellectum reddat *negative* incertum, h. e. non certum; scientia verò nitatur motivis evidentibus, & intellectum reddat *positive* certum.

Ad 3. *Neg. parit.* Tum quia fides, & hæresis sunt actus *contrarij*, quod

unus affirmat, alter negat; ergò non possunt simul stare: econtra scientia, & opinio sunt actus *subordinati*, quorum uterque idem objectum vel affirmat, vel negat. *Tum*. quia fides affirmat testimonium DEI, cui innititur, esse infallibile; hæresis autem negat esse infallibile; ergò opponuntur *ex parte objecti formalis*: econtra opinio non negat motivum scientiæ esse evidens, ergò non opponuntur *ex parte objecti formalis*.

Ad 4. *Neg. parit. Tum* quia lux, & tenebræ reciperentur in eodem subiecto *immediato*, h. e. aëre. at scientia, & opinio recipiuntur solum in eodem subiecto *mediato* h. e. intellectu, non *immediato*, h. e. actu. *Tum* quia lux, & tenebræ opponuntur *privativè* ut forma, & privatio; at scientia, & opinio non opponuntur *privativè*, sed potius opinio *subordinatur* scientiæ; & opinio non secum fert inevidentiam *positivam*, sed *negativam*. ergò.

Ad 5. *Tr. ant. n. c. & parit.* quia objectum plenè illuminatum non esset amplius receptivum lucis exiguæ,

ut supponit adversarius ; econtra intellectus , quia potest cognoscere *omne verum* , etiam probabile , est potentia multò universalior ; ergò potest adhuc cognoscere illud motivum probabile ; ergò illi assentiri , & consequenter potest magis moveri , si non *intensive* , saltem *extensive* , h. e. ex novo , & alio motivo , licèt solùm probabili.

Fundam. præcip. Sent. 1. Opinio ex sua essentia non reddit intellectum *positive incertum* , seu actu formidantem , sed *negative* tantùm , h. e. non certum , quantum est ex vi motivi probabilis ; ergò stare potest cum scientia , seu cognitione certa in eodem intellectu.

Fundam. Sent. 2. Opinio ex sua essentia reddit intellectum *positive incertum* , & actu formidantem , non *negative* , & *radicaliter* tantùm ; ergò stare non potest simul cum scientia , & cognitione certa.

